



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

In Calendario demum anniuersario  
notetur hic dies quadragesimæ primus.

## Decretum. IIII.

BARBÆ radendæ institutum, à pa-  
tribus in Concilio Carthaginensi sanc-  
citum, quodq; ex summi Pontificis Gre-  
gorij VII. literis longè antiquissimum  
esse perspeximus, iam olim in omni fe-  
rè ecclesia, & in nostra hac Ambrosiana  
ad hæc vsq; tempora ( vt nos vidimus )  
à plerisq; sacerdotibus antiquæ sanctio-  
ris disciplinæ studiosis conseruatum, ac  
deinceps nostris literis per nos ad vsum  
consuetudinemq; reuocatum; ita in per-  
petuum retineri præcipimus ac manda-  
mus, vt vnusquisque sacerdos & cleri-  
cus, quocunq; gradu dignitateve præ-  
ditus barbam radat.

## Decretum. V.

AVXILIANTE Christo Domi-  
no iam quintam synodum diœcesanam  
hoc sacro loco celebrauimus: at vos con-  
scij estis, multa deesse, ad eorum quæ de-  
cretis & diœcesanis & prouincialibus  
præscripta sunt vobis, perfectam execu-  
tionem.

Qua in re vnusquisque Visitatoris no-  
stri, præfecti regionarij vrbis, atque sin-  
gulorum etiam dignitatem & canonica-  
tum in basilica nostra Metropolitana,  
in collegiatiue tum vrbis tum diœcesis  
nostræ Ecclesijs obtinentium, ac Vica-  
riorum foraneorum, & testium synoda-  
lium, & omnium denique ac singulorū,  
non modò sacerdotum sed clericorum  
etiam cuiusuis ordinis, quibus ecclesi-  
astica disciplina leges constitutæ sunt,  
studium, operam, diligentiam, sollicitu-  
dinem desideramus, atque requirimus.  
Proinde non solum monitiones, quas in  
synodo diœcesana quarta contestati vo-  
biscum adhibuimus; & quò diligentius  
studiosiusq; ad illarum vos præscriptum  
conformaretis, easdem imprimi man-  
dauimus; sed etiam quorundam decre-  
torum, quorum executionem diligenti  
studio quamprimum præstare debetis,  
tabellas aliquot ante mensibus editas,  
& vobis traditas, iterum vobis vniuer-  
sis & singulis in hoc diœcesano conuen-  
tu inculcari diligenter iussimus et man-

dauimus.

Vestrum igitur erit, cum tantopere per  
nos omni officij genere excitati sitis, ad  
absolutam quandam decretorum om-  
nium executionem, studiosè, accuratè,  
perpetuq; sollicitudine agere, curare,  
atque adeo perficere, vt vnusquisque  
vestrum diligentiam verè ecclesiasticà  
commendemus; nec verò accusamus aut  
damnemus negligentiam.

Aliquot selectorum decretorum execu-  
tio, præcipuo sollicitudinis stu-  
dio præstanda.

FENESTRÆ, vnde extrinsecus  
Missæ sacrum inspicere & audiri potest o-  
cto dierum spatio amoueantur, murove  
obstruantur.

Fenestræ item aliæ, vnde in ecclesiã  
introspicijatur.

Seruitutes ab omni ecclesia ad octo  
item dies amoueantur omnino; ita scili-  
cet, vt ab ædibus clericalibus per eam  
nulla exportatio, nulla importatio, nul-  
lum iter, nullus transitus fiat, nõ prospe-  
ctus, nec verò alia eiusmodi seruitus.

De ædificijs laicalibus ecclesiæ parie-  
tes attingentibus, præstetur, quod decre-  
tis prouincialibus constitutum est.

De officinis eidem coniunctis, præste-  
tur itidem vt mox supra.

De luto, illiue, sordibus disijciendis  
& amouendis, præstetur & agatur ex de-  
creto concilij prouincialis in. & ex præ-  
scripto instructionum nostrarum.

A locis sordidis cruces, & sacræ ima-  
gines, quindecim dierum spatio amo-  
ueantur.

Altaria cappellæ maiori aduersa, aut  
sub ambone, suggestore, aut ad pilas,  
columnasve enllocata, octo dierum spa-  
tio amoueantur, ex præscripto visitatio-  
nis apostolicæ.

Altaria item in lateribus cappellarū  
posita, ad tres menses amoueantur; in ea-  
rumq; medio exstruantur.

Sepulcra lapidea ex ecclesiæ cœmite-  
rijve pavimento indecenter eminentia,  
octo dierum spatio tollantur.

Sepulcra itidè operimētū visitationis  
apostolicæ decreto præscriptū non habē-  
tia, ad quindecim dies humo oppleantur,